

## Psalmus responsorius

Ps 90, 1-2. 10-11. 12-13. 14-15 (R̄.: cf. 15b)

R̄. Esto mecum, Dómine, in tribulatióne.

<sup>1</sup> Qui hábitat in protectiÓne Altíssimi,  
sub umbra Omnipoténtis commorábitur.

<sup>2</sup> Dicet Dómino: «Refúgium meum  
et fortitúdo mea, Deus meus, sperábo in eum». R̄.

<sup>10</sup> Non accédet ad te malum,  
et flagéllum non appropinquábit tabernáculo tuo,

<sup>11</sup> quóniam ángelis suis mandábit de te,  
ut custódiant te in ómnibus viis tuis. R̄.

<sup>12</sup> In mánibus portábunt te,  
ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.

<sup>13</sup> Super áspidem et basilíscum ambulábis  
et conculcábis leónem et draconem. R̄.

<sup>14</sup> Quóniam mihi adhæsit, liberábo eum;  
suscípiam eum, quóniam cognóvit nomen meum.

<sup>15</sup> Clamábit ad me, et ego exáudiam eum;  
cum ipso sum in tribulatiÓne,  
erípiam eum et glorificábo eum. R̄.